B. N. C
FIRENZE
1015
15

1015.15

EXPERIMENTA
PHYSICA
Inſtituta
ET
Cum Theſibus inde deductis
EAVENTE AUTORE NATURÆ,
SUB PRÆSIDIO
DN. BENEDICTI HOPFFERI,
Phil. Moral. Profeſſ. Publ. Famigeratiſſimi, & Stipendii Ducalis Ephori Vigilantiſſimi,

Patroni & Præceptoris ſui
perpetim colendi,
Ad diſputandum publicè propoſita
à
RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,
Tubingenſi.
Die 16. Decembr.
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO
Horis conſuetis Antemeridianis.

TUBINGÆ,
Typis MARTINI ROMMEII.

Anno M DC LXXXI.

1015
15
BIBLIOTECA NAZ 1872

VIRO

NOBILI, PRÆCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO DOMINO

JOHANNI ULRICO RAITHIO,

MEDICIN. LICENTIAT. MERITISSIMO,

Domino Cognato ſuo colendo

dat, dicat, dedicat,

AUTOR.

Σ. Θ.

Cum ſola, nuda & inanis in *Phyſicâ* Speculatio confundat potius quam erudiat, non ſolum *Antiquiſſimi Philoſophi*, quod *Laërtius* docet, ſed & potiſſimum *Moderni* maxima diligentia ſummo acumine pariq; fama Inclyti Phyſici, *Angli, Batavi, Dani, Galli, Germani, Itali*, imò per *Europam* non ſolum literatam ſed & alias *Orbis* partes ſparſi, *ExperimentalemPhyſicam* omni hactenus ſtudio absque ullâ adhuc intermiſſione magno ad ſudores fervore excoluerunt, ex quorum *Oceano* ſequentes *guttulas* primoribus tangere digitis pro *Exercitio Diſputatorio* mihi placuit. Faveat Summus Naturæ Autor.

EXPERIMENTUM I.
DE FLAMMA.

IN loco opaco, unicam Spiritus Vini guttam accendi, cujus flamma aliquandiu durans replevit vas vitreum, quod poſtea repletum aqua 1100. guttas continere deprehendi, quas ſi cum unica illa ante accenſionem confero, ſimulque flammam non unico oculi ictu expiraſſe perpendo, maxima in minutiſſima Corpuſcula obſervatur extenſio.

Pòſt, unicum pulveris pyrii granum accendi, & flammam inde excitatam vitreum vas aptum repleviſſe vidi, cujus Diameter continebat 54. earum partium, quarum 2. priorem conſtituebant Diametrum. Jam

exiſtente	2.	54.	Diametro,
erit	4.	2916.	Superficies,
&	8.	157464.	Sphæra.

Juxta *Euclid. Prop. 18 & 2. l. 12. p. m. in edit. à Barrovv reviſa, 324. & 345.* Ut ita Sphæra grani accenſi contineret in ſe Sphæram grani non accenſi 19683. Exinde *pono:*

Flammam Particulæ Volatiles, Subtiles conſtituunt.

EXEGESIS.

In pulvere pyrio carbonem Tiliæ particulas Sulphureas, ramoſas cum acutis Nitri melius conjungere, dicit. *Cl.* Geier/ *Diſp. de Ambuſtis, ſub* Præſid. *Excell. Franci, Profeſſ. & Procancell. Heidelberg. Famigerat. c. 5. p. 14. Ubi Flamma, ibi Sal volatile*; inquit *Excell. Dn. Kirchmaj. de Phoſphoris, Natura Lucis & Igne p. 13.* Daß das *Sal volatile* oder das ſubtilſte theil vom Saltz flammam mache/ ingenioſiſſimis *Experientiſſimus* Chymicus Kunckel de *princip. Chym. Salib. Acid. & Alkal. &c. cap. 1. & 10.* docet experimentis, quæ veneror. Liceat tamen exercitii gratia & hæc propoſita experimenta ad *Subtilitatem* ſive *Volatilitatem Flammæ* probandam aptare. Iſta enim extenſio toties ſuperans corpus quale ante accenſionem erat, rarefieri, in ſubtiles agi particulas ſive corpuſcula probat; Nec enim dixero fieri hoc per exortas *Vacuitates*, propter *Indiviſibilia inflata*, per *Qualitatem Quantitati* inhærentem, vel *Modum*, per *Corpuſcula intrantia*, ſed per Alterationem dictam materiæ, quæ aliam etiam exinde nanciſcitur Quantitatem. Hinc & *Naturæ Conſultiſſimus Boyle*, materiam ignitam, dum in flammam vertitur, rarefieri dicit, *Exerc. de mira ſubtil. effluv. c. 3.* ibidem *Experimentum* adducens, quod monſtrat, ſpatium ad quod fumus accenſi pyrii pulveris ſe porrigebat, 50000. exceſſiſſe illud, quod pulverem continebat non accenſum. Illa autem minutiſſima extenſa non ſpecies *Intentionales* ſunt, ſed materialia, corporea. vid. *Celeb. Ettmüller. de parvis magnorum morborum initiis* §. 11. 12.

EXPERIMENTUM II.

DE CALORE ET FRIGORE.

IN conclavi temperato, vitris itidem talibus exiſtentibus, affudi Spiritui Urinæ volatili Spiritum Vitrioli; inſignem mox vidi & audivi effervefcentiam, vitri calorem nullum, ſed levem obſervavi refrigerationem.

Mox

Mox in alio vitro Spiritui dicto affudi Spiritum Veneris Zvvelf. inſigniorem notavi efferveſcentiam, & inſignem vitri refrigerationem; Pòſt, SpirituiSanguinisCervini affudiSpiritum Vitrioli, & deprehendi ea, quæ à SpirituUrinæVolatili & Spir. Vitrioli mixtis. Tandem Spiritui C. C. Spiritum Veneris affudi; Cernere tunc licuit vehementiſſimam efferveſcentiam, per horæ ferè quadrantem durantem, & liquores ſub initium vix octavam vitri partem replentes, in ſpumam actos oras ſupremas & labra vitri ſupergredi cogentem, & tangere vitrum, intenſè ac valdè frigefactum. *Theſes* formo ex his ſequentes:

I. *Calor non eſt Motus, ſive Partium Exiguarum Agitatio.*

EXEGESIS.

CAlor & Frigus duæ manus ſunt, quibus præcipuè operatur Natura: Inquit *Fr. Baconus Baro Verulamius, Vice Comes S. Albani, Angliæ* quondam *Cancellarius, Sylv. Sylv. cent. 1. §. 68.* Calorem *Ariſtotelis* Sequaces & Qualitatũ Patroni, dicunt, *Qualitatem Activam, congregantem homogena, ſegregantem heterogenea. Magnenus, Profeſſor Regius Ticinenſis, in Democrito Reviviſcente diſp. 1. c. 2. propoſit. 12.* ita definit: *Calor eſt qualitas, prima, rarefactiva corporum quibus eſt extrinſeca, inſtituta à Natura ut Formarum activitem preſtaret, & mixtum in vigore detineat, moveatque primò Atomos admixtionem. Chymici à Sulphureis, Spiritnoſis, Volatilibus, Salinis* particulis; *Quidam* ex earum cum adverſis *pugna* ſive *efferveſcentia* oriri dicunt. *Helmontius* calorem *proprietatem* Solarem. *Alii Aſtrologi* & *Chymici*, certarum ſtellarum, & fixarum & erraticarum *fructum* vocant. *Corpuſculares* hodiè *Philoſophi & Figurales* plerique Motum varium, Agitationem inſigniorem particularum *inſenſibilium* non verò *ſenſibilium* ſtatuunt. At hæc de motu Particularum ſententia etiamſi hodie ſatis frequens ſit, ſive Cauſa Efficiens, ſive τὸ Formale, ſive Effectus, de quo diverſè ſentiunt, dicatur, ariete concutitur Valido, quem dicta modo ſuppeditant Experimenta. Inſtaret autem *Carteſianus* 1. Particularum hic motus eſt, ſed ſenſibilium, ceu pulveris arenacei, qui calor

 non

non eſt 2. non agitatio varia, ceu Aquæ pluvialis vel Venti, qui itidem calidus non eſt. 3. in ſe conſiderati iſti liquores confuſi ſunt calidi, ſed non comparativè ad tangentis manum, quam diſtinctionem inculcat *Antonius le Grand Inſt. phil. part. 6. artic. 18.* Reſpondetur. *Negando duo priora*, nam hic præcipuè inſenſibiles agitatæ, & quidem inter ſe variè, aliæ antrorſum, aliæ retrorſum, aliæ ſurſum, aliæ deorſum, aliæ ad dextram, ad ſiniſtram aliæ, prout requirit *Regius, Profeſſor Ultrajectinus, Philoſ. Nat. l. 3. c. 6.* *Ad Tertium*, multi non tam vehementer effervescentes & agitati liquores tangentis manui calidiſſimi occurrunt. De effervescentia *Acidi & Alkali* caloris cauſa, hic itidem ſermo inſtitui poſſet, ſed adhuc altiora meo tenui ſunt judicio.

2. *Frigus nec in ſola Privatione, nec in ſola Quiete, nec in ſola Partium materiæ in arctiora ſtipari coactæ & renitentis Torſione violenta conſiſtit.*

EXEGESIS.

Privationem Caloris Frigus eſſe, *Cardanus, Gilbertus & Alii* dicunt. *Carteſii* Sequaces plerique per Quietem partium *inſenſibilium*, cui Rigiditatem Alii addunt; *Quidam* Motum internum alterius proprio minorem, Alii cum *Comenio* motum Contractivũ, Contortivum deſcribunt. Quod autem Poſitivum quid ſit, quod cum magna agitatione, cum prolixa Expanſione conſiſtat, hæc probare videntur experimenta. Ne dicam, quod quietem Effectum frigoris Nonnulli ſtatuant. At, an Primum Frigidum ſit *Aer*, quod *Stoici Philoſophi* ſtatuunt, an *Spiritus* quidam ſive *Atomi frigorifica*, quod du *Hamel*, an *Venti*, quò inclinat *Hobbeſius*, an *Sal* ſive *Spiritus Nitroſus*, quod hodiè *Multi* docent, an *Armeniacalis* quod *Aliis* placet, an *Atomi Terrea*, quibus non figuram *hexagonorum* ſolidam, quæ fit 6. *parallelogrammis, &* 2. *hexagonis*, non *parallelepipedi (obliquanguli)* non *pyramidalem*, vel *tetrahedricam*, ſed *Cubicam* adſcribit *Magnenus lib. cit. diſp. 2. cap. 3. prop. 28.* An *gelata Molecula Priſmata* præſentent, *ſexangulares* ſint, an *irregulares*, de quibus *Microſcopi* teſtantur? Ego Tyrunculus inter tantos *Magiſtros* decidere ſuperſedeo, ponderans *Peyreskii* ſententiam, qui *Gaſſendo* teſte in Ejus vita *lib. 3. anno 1623.* aliàs cauſam reddere conatus

natus fuit tum candoris nivis, ex bullulis lucem reflectentibus, tum formæ ſtellatæ ex 6. Triangulis æquilateris, in quos circularia ſponte naturæ conformantur; *Sibi verò nihil viſum probabilius, quam creari formariq́; nivē ex ſeminibus propriis, ut Lapidum quoq; varia genera, eodem ſemper modo non ſecus ac Planta, Animaliaq; figurantur*, tum dixit. Poſt longum & doctum de Frigore diſcurſum Cl. *Conradt p. 194, ſeq.* ſcribit: *Nil abſurdi in eo video, ut cogitemus peculiarem iſtis omnibus* (Aereis, Salinis, Armeniacalibus, Nitroſis, Urinoſis, Volatilibus, Acidis, antea ab Ipſo deſcriptis.) *Spiritum Architectum, imperſcrutabili & adoranda Conditoris Glorioſiſſimi voluntate inſitum inditumque fuiſſe.*

EXPERIMENTUM III.

DE SOMNO.

SPiritui Sanguinis Cervi in conclavi eodem ſimiliter diſpoſito affudi Spiritum Vini rectificatum; nullam obſervavi efferveſcentiam, ſed ipſum Spiritum Sanguinis Cervi anteà maximè fluidum nunc denſatum, coàctum & quaſi incraſſatum, ut oleum pingue quodammodo denſatum craſſitie referret, parum ſubſidentem. Pòſt, idem cum Spiritu Cornu Cervi & Spiritu Vini rectificato tentavi penitusque ſimile obſervavi.

Inde ſequentem deduco *Theſin*:

Somni cauſa eſt, Spirituum Animalium, qui volatiles Salini, tenuiſſimi, ſimul mitiſſimi & in perpetuo motu ſunt, ab oleoſis ſive ſpirituoſis, mitibus, blandis, tenuibus particulis ſuſpenſio, ſufflaminatio, impeditio, ligatio.

EXEGESIS.

Inſomnes *Philoſophi* duxere noctes, ut Somni eruerent Naturam ac Cauſas. *Ariſtoteli* dicitur τῦ πρώτυ αἰσθητηρίυ κατάληψις πρὸς τὸ μὴ δύνασθαι ἐνεργεῖν. *Argenterio*, Calidi Innati influxus

fluxus minor, quam ad ſenſum requiritur, cauſa eſt. Somnum calorem & Spiritus naturaliter introrſum agere, ibi commoraturos, dicit laudatus *Angliæ Cancell. l. c. cent. 8. §. 709.* *Heigelio* dicitur oriri ab exhauſtu ſive defectu liquoris certi, ſubtilis, è ſanguine per arteriarũ poros exprimendi, glandularum ope redditi purioris, in nervorum meatus non quidem cavos & directos, ſed ex fibrarum coagmentatione, ob figuræ & magnitudinis diſſimilitudinem non tam arctè concreſcentium enatos, leniter influentis, perq; eorum ambages placidè alias dimanantis & contracto nervo quà guttulas quasdã effluentis, & hos vel illos muſculos, dum rareſiunt, diſtendentis. *Carteſio* poris Cerebri magis obturatis Spirit. tanta vi non indigere, quanta prius ad univerſum cerebri fornicem expandendum & ſuſtinendum, videntur. *Le Grand* Somnus definitur, Laxatio cavitatum cerebri, nervorumque remiſſio, ab inopia Spirituum Animalium proveniens, qua ſenſoria ſiſtuntur, & inidonea fiunt ad motus objectorum in globoſam cerebri partem & ad Communem Senſus ſedem deferendos. *Williſius* cauſam Formalem in Spirituum vacatione ſive quiete, imò Partiali Extinctione, & partium eos continentium Irrigatione ponit. Haud *Paucis* ſedatior, clementior quædam Spirituum Animalium in cerebro quies, *Aliis* ceſſatio Senſus Cõmunis & ſenſuum Externorum cauſa eſt. Exc. *Bohnius Prof. Lipſienſ. Celeberrimus Exerc. Phyſiol. 23. §. 10.* dicit: *Eo ipſo dum Spiritus animales ſub ſubſtantia quadam ſumme Volatili eaque ſalinâ concepimus, illa cuncta ſomnum introducere probabile fit, qua activitatem hanc quocunque modo compe[illegible]ere illosque fixiores ſive minus impetuoſos reddere valent.* Verum, quid ſit illud, quod πρώτȣ αἰσθητηρίȣ operationem impediat, ſiſtat, ſenſum communem & externos ceſſare faciat, influxum calidi innati, actionem Spirituum Animalium imminuat, poros obturet, cavitates laxet &c. dum dubius animus & curioſus quærit ac ſcrutatur, elici mihi poſſe videtur ex hoc experimento. Quamvis enim illos *Spiritus* extra corpus igne violento prolicitos, penitus eosdem aut ſimiles cum noſtris in corpore non dixerim, magna tamen convenientia eſt, licet Noſtri puriores, mitiores, à calore blandiori magis amico proliciti, & in ſtatu ſano à peregrinis ſpiculis liberiores ſint. Spiritus ergò Animales, qui

ut

ut ex *Celeberrimo Bohnio* modò dixi ſummè Volatiles, Salini ſunt, non acidi, non oleoſi, mitiores tamen blandi & puriores perpetuum aliàs mobile ac valde activi, dum à blando oleoſo *Spiritum Vini* (quem Sal Volatile oleoſum copioſo phlegmate dilutum *Moderni* multi dicunt *Chymici,)* quodammodo referente ſive liquore ſive vapore, qui non ſolum mox à blandiſſimo calore noſtro & ſubtili Ventriculi fermento (primi hi Ciborum Rores ſunt, ut cum *Verulamio* Exc. *Wedelius, Prof. Jenenſ. Celeb. Phyſiolog. Med. Sect. 4. cap. 14. vocat.)* ſed & poſtea absque ulla violentia ex alimentis, imò & ex ſanguine ac ſolidis partibus elicitur, à tali leni denſante, ſalina ſpicula obtundente, mitigante, ſed ſimul activo (qualia oleoſa ſed tenuia, lenia, blanda, non aromatica vehementiora ſtillatitia ſunt) illinuntur, inunguntur, quaſi in nebulam coguntur, figuntur, & ita ſeparatio illorum & activitas alacris in motu nonnihil ſufflaminatur. De his Acutiſſimus *Borrichius* ita: *Corpuſcula oleoſi generis, eaque in minutias ſive Spiritus attenuata, ſive ramoſa fingas cum Carteſio, ſive rotunda, ſive alterius figura, nobis perinde fuerit, dum conſtet, eadem adventu ſuo motum Salinorum nonnihil ſuſpendere, & procurſum vehementiorem impedire.* Alio verò loco; *Siſtitur alacrior Spirituum animalium motus, ſive facies particularum laves faciebus non admodum diſſimilibus apprimendo, quod ſatis durabile gluten eſt, ſive partes diſſimiles præcipitando, modo Chemicis notiſſimo, ſive denique poros Spiritibus pervios occurſu ſuo obſtruendo.* Hæc Profeſſor iſte Hafnienſis Celeberrimus.

Poſtquam Typotheta fini proximus, inſigne emerſurum Vacuum mihi ſignificavit, ad illud fugandum, Curioſiſſimum Thema de Filis Vitreis, quantum temporis & chartæ anguſtia concedit, annectere volui.

EXPERIMENTUM IV.

ARripiebam fila vitrea, quæ ante 16. annos circiter in Vitraria Lauterenſi efformata, aſſervârat hactenus Fautor, qui me iſtis nuper donavit, partim calefacta, partim actu frigida, & Ecce! dum cujus-

vis Caudæ, Extremitatis, Termini, portiunculam frangere ac ſeparare tentabam, ſubitò totum filum diſſiliebat cum ſtrepitu non levi, & in minutiſſimum, faciei etiam cutem, illiſu licet ſatis valido, non lædentem, pulverem vertebatur.

Exegesis.

Fila, Filamenta, Lacrymas, Guttulas Vitreas, Vitrum Stillatitium vocare ſolent. *Curioſiſſimus Franciſcus Redi, Nobilis Aretinus,* conſcripſit Obſervationes circa hæc Fila, quas ex Ms. Italico Latinitate donaverunt, & Orbi Curioſo communicârunt *Celeberrimi Ephemerid. German. Collectores Ann 2. Obſervavit*, quodnam Vitri aut Cryſtalli genus aptum ſit ad ipſorum confectionem, quæ requiratur dexteritas, quid varient Inſtillata in varios Liquores, Aquam, Ceram liquatam, Mel, Plumbum liquatum, cum Gypſo mixta ac formata, quandiu durent, an Magnitudo Guttæ vel Caudæ diſcrimen in violentia & rumore inducat, quid Attritio Ipſorum cum cote verſatili & aliis, quid diſſectio per medium Ventris tentata, quid Igni Admotio, quid Coctio in Aqua, Cineribus, Melle, Spiritu Vini, Oleo Olivarum, quid Frictio præſtet; Exhibuit etiam deglutienda Anatibus, Caponibus. Vid. 41. *Tales Obſervat.* in *Eph. Germ.* loc. citat. quarum & bonam partem *Montanani*, in *Speculationibus Phyſico-Mathematicis* Italicè recenſuiſſe ibidem monetur. Plura alia de his lectu & perpenſu digniſſima *Merrettus, Medicus* & *Societ. Reg. Angliæ Socius* in *Not.* & *Obſer.* ad *Anton. Neri* de *Arte Vitrar. Libros p. 421. & ſeqq*, ex Illius verè *Regiæ Societatis* libro notavit; poſt modum etiam à *Secretario Humaniſſimo Oldenburgio Nobil. Domino d. Monconnys* communicata, qui Itinerar. ſuo Angl. *tom. 2. p. 32.* inſeruit, ſimul & de his varias ad Amicos Pariſienſes conſcripſit Literas, contentas in ejus itiner. *Belg. part. 2. p. 162. Hobbes Philoſophus Londinenſis* ab Infinita Multitudine parvarũ Guttarum aut Particularum, *Voſſius Philoſophus Amſtelodamenſis,* & *Pater* quidam *Gratianopolitanus* ab Aere magis raro aut minus preſſo, rarefacto, *Hudde Belga* & P. de S. *Rigaut. Gallus,* ab Aere condenſato & obſtricto, Ipſe *Monconnys*

tennys ex Fuga Vacui, de *Sorbiere*, à Materia, qualis etiam ſit, concluſa ibi, maximè conſtricta, *Pecquetus Notiſſimus Inventor*, adſtipulante Dn. de *Mommor*, à Materia & Spiritu maxime ſubtili incluſo iſtam comminutionem deducunt. Quid *Roſſetii* de Guttulis his Vitreis pulveriſatilibus in Italia ſingulari tract. ſit narraturus, *Germani* expectant *Curioſi* l. c. Mihi, qui circa Fila tantæ ætatis, quam, quantum ego vidi, nullus in iis obſervavit, Experimentum inſtitui, arrident, quæ de Iſtâ comminutione *Clar. Joh Ott, Cogitat. Phyſic. Mechanicis de Natur. Viſion. Appendic. de Filam. Vitr. p. 46.* (Poſtquam Filamenta & Lacrymas diſtinguit, eundem tamen effectum præſtare dicit) depromit: *Cum vitri candentis valde & fluidi portio ferro ex olla auferatur, inq; ſubjectam aquam frigidiſſimam ſtillare permittatur, congruum eſt credere, ob ſubitam iſtam mutationem non poſſe non miram mutationem in corpore iſto ſeu Vitro accidere; particula enim Vitri, tantum temporis non habent, quo ſe conſueto modo reſtituant, & unà aliis via communi uniantur, cumque ob aqua gelida adverſam conditionem exteriores Vitreorum filamentorum ſuperficies quam citiſſimè indurentur, nondum planè unitis interioribus, ſpatium eorum, ob condenſationem, quam aqua frigida cauſabatur, imminuitur, remanente adhuc violentiſſimo partium motu & agitatione, qua fit ut particula Vitri rigidiores ob violentam iſtam concuſſionem tendantur, & arcuum inſtar incurventur, etiam toto filamento nonnunquam contorto, quod ex filamentorum aquali craſſitie & tenuitate oritur: Cum vero arcuum more tenſa ſint pracipua particula interiores, ſeſe tenſorum in morem ſemper reſtituere conantur, verum cum coadunatis partibus, per circumſtans frigus, illud fieri non poſſit, utpote quod firmiter quaſi cruſta partes illas obvolverit, exigua tantum portione minima qua poteſt fieri concuſſione & agitatione ablata, libertas interioribus iſtis conceditur, ad ſe pro ratione tenſionis reſtituendum, undique autem in cruſta latera irruentes eandem pari vi diffringere valent, decurrendo uno quaſi momento per integri filamenti longitudinem, illud pulveris inſtar comminuendo.*

Georg. Hieronym. *Velſchius*, poſt mortem Neſtoris vitam agens, *Obſ. Medico-Phyſic. Hecateſt. 1.* Obſervationi 41. ſubjungit: *Cum de Lacrumis Moncenſianis ſive Filis guttiſque Vitreis tàm multa ab Anglis, Gallis, Germanis & Italis obſervata ſint, admi-*

ratione digna, quæ Nobiliſſimus Redus haut ita pridem feliciter adauxit, facturos haud dubiè operæ pretium, ſi de uſu quoque illorum in Medicina cogitârint, & tentamenta ſua aliquando in publicum produxerint. Huc usque enim intra oblectamenta tantum ſtetit, quæ diſploſione capiunt, quibus fragores & ſtrepitus ejusmodi ludicri, jucundi videntur. At iſtis plane contrarium videtur, vitrum duriſſimum Chemica arte productum, quod nullo modo diffringi poterat, opus Sereniſſimi Principis Sigiſmundi Electoris Brandenburgici, cujus exemplum ad Phil. II. Ducem Pomeraniæ olim detulit Phil. Heinboferus ſæpe jam laudatus, raritate eximia celebratum, cujus ipſe ingenioſiſſimus Æſtimator erat.

Nullus dubito, quin plura, certiora, ingenioſiora, de his ſingulis *Experimenta* partim inſtituta ſint à *Sedulis Naturæ Scrutatoribus*, partim inſtitui poſſint, quin alia etiam ad Naturæ arcana pandenda ex his Experimentis deduci queant *Poriſmata*, quin in Medicinâ multum lucis conferre valeant; At hæc mihi in primis verſanti primitiis pro *Exercitio Diſputatorio* ſufficiant.

SIT DEO SOLI GLORIA.

1615 .15

S3 556237

MC